

9138. 1776, 14.
Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
C V I P O R T I O N I S H E R E D I T A R I A E
A L I E N A T I O I N T E R D I C T A , E I V S
Q V O D A D C R E S C E N D I I V R E A C Q V I R I T ,
A L I E N A T I O S I M V L P R O H I B I T A S I T

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S. P U B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G E N S.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

D I E V. I A N V A R A N N O C I S C C L X X V I .


D E F E N D E T

I O A N N E S G O T T L I E B G E R B I G

S C H L E V S I N G A • H E N N E R.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .





AN
CVI PORTIONIS HEREDITARIAE
ALIENATIO INTERDICTA EIVS
QVOD ADCRESCENDI IVRE
AC QVIRIT ALIENATIO SIMVL
PROHIBITA SIT?

§. I.

Non est dubium, testatorem liberalitati suae legem dare posse quamcunque, dumne quid contineat, quod iniustum, turpe et naturae aut legibus contrarium. Sic interdicta olim testamento viduitas contraria legi Papiae Poppeae videbatur, sicque iure impossibilis conditio habebatur, quae, quamvis liberalitati suae conditionem posuerat testator, pro adiectione tamen haberi non poterat, ut patet ex PAPINIANO in L. 82. §. 5. n. de condit. et demonstr. MAEVIAE, inquit, *SI NON NVB SERIT, FVNDVM CVM MORIETVR LEGO.* Potest dici, et si nubserit, eam confessim ad legatum admitti.



admitti. Non posset vero admitti, si vim illa conditio haberet. Adde MARCIANVM in L. 14. π. de condit. insit. Contra dubium non est, posse testatorem rei portionisque, quam heredi legatarioue relinquit, alienationem prohibere, ut patet ex SCAEVOLA in L. 38. §. 4. π. de Leg. III. Sed non omnem alienationem indistincte prohiberi posse, potius eam, in qua causa expresa est, probat MARCIANVS in L. 114. §. 14. π. de Leg. I. ex Rescripto Seueri et Antonini. Ita apud eum legitur. *Diui Seuerus et Antoninus rescriperunt, eos, qui testamento vetant quid alienari, nec causam exprimunt, propter quam id fieri velint, nisi iuuenitur persona, cuius respectu hoc a testatore dispositum est, nullius esse momenti scripturam: quasi nudum praeceptum reliquerint; quia talem legem testamento non possunt dicere.* Quod si liberis, aut posteris, aut libertis, aut heredibus, aut aliis quibusdam personis consulentes, eiusmodi facultatem significarent; eam seruandam esse.

§. II.

Sed haec tantum obiter; non enim de omni alienatione dicamus prohibita, at de certa aliqua specie tantum, videlicet, an, cui portionis hereditariae alienatio interdicta, eius, quod accrescendi iure acquirit, alienatio simul prohibita sit. Tractarunt hanc quaestioneM *Glossatores*, quos excitat Ioan. V A V D V S Var. Quaest. L. I. c. XLIII. quique omnes putant, accrescentem portionem pariter alienari prohibitam esse, quaeque sententia recepta esse videtur. Ab his recedit V A V D V S cit. loc. putans: *quia testator suam unicuique portionem duntaxat alienare in lege prohibuit, non aliter a verbis eius recedendum, quam si eidens illius contraria voluntas appareat.* Bene quidem, sed distinctius causa tractanda.

§. III.

Ante omnia ergo videndum, an alienatio illa prohibita lege valeat nec ne. Cum enim ex Rescripto Diui Seueri et C^aracalla^e,

racallae, quod excitauit MARCIANVS in L. 114. §. 14. de Leg. I. non omnis prohibitio alienationis obliget eum, ad quem ex testatoris liberalitate aliquid sub lege prohibitae alienationis venit, sed ea tantum, cuius prohibitionis causa simul expressa est, sequitur omnino, si in portione principali prohibitio alienationis ex lege haud obliget, multo minus eam obseruari posse in ea portione, quae iure accrescendi acquiritur. Fac testatorem nude dixisse in testamento, nolle, vt res ex sua hereditate acquisitae alienentur, nec addidisse vel in cuius gratiam, vel ob quam aliam causam prohibitam esse alienationem velit, recte ex sententia MARCIANI cunctae res hereditariae et iure accrescendi acquisitae alienabuntur.

§. IV.

Contra si vni tantum suae portionis alienatio interdicta non reliquis, aliter sentiendum erit. Scripserat testator in testamento suo: *TI TIVS, CAIUS, MAEVIVS heredes mei sunt in fundo Semproniano, ea tamen lege, ne Titius suam portionem alienet, ut habeat, unde alatur: vel, ut aliquid ad suos heredes ex mea hereditate veniat.* Facile pater hac lege scripta, voluntariam tantum alienationem Titio esse prohibitam, eamque solam Titii personam prohibitionem obligare. Quare si vel Caius, vel Maeuius collegatarii conjuncti utriusque cum Titio, nolit in communione persistere et ad divisionem prouocet, necessaria tunc erit alienatio, et cum nemo cogi possit, ut in communione permaneat, licitum non tantum erit iudicium communi diuidendo, verum etiam non obstante testatoris prohibitione recte ad alienationem, cum alter diuisio fieri nequeat, veniendum. Mōuet ex parte mei PAVLI in L. 8. pr. π. Commun. diuid. autoritas, qui adfirmat: *Etsi non omnes, qui rem communem habent, sed certi ex his diuidere desiderant: hoc iudicium accipi potest.* Quodlibet vero CAIUS suam partem repudiet, eaque iure accrescendi ad Titium et Maeuium veniat, quaerendum, an Ti-



tius partem Caii ex iure accrescendi acquisitam voluntarie alienare possit. Et puto, recte eundem hanc portionem alienaturum. Testator enim suae partis alienationem prohibuerat, non sequer Caii vel Maeuii. Neque ex testatoris voluntate sola illam partem acquirit, sed ex legum beneficio, quibus ius accrescendi statutum. Cum ergo illa portio sine onere seu prohibitione Caio relista, atque pars illius sine prohibitione ad Titium venit, recte hanc partem alienabit, quamvis suam partem alienare voluntarie nequeat.

§. V.

At quid? Si ipse *Titius*, cui pars sub prohibitione de non alienando relista, suam repudiet hereditatis portionem, ea que veniat ad Caium Maeuiumque coheredes, recte quaeritur: an his quoque prohibita sit pars accrescentis alienatio, quippe Titio illa alienare prohibita. Sane licite alienare utrumque hanc partem arbitror. Conditio enim de non alienanda portione Titio tantum adscripta, non aequa reliquis. Iam igitur eodem arguento. Caius enim et Maeuius neuter hominum hanc portionem deficientem directo ex testatoris voluntate acquirit, sed ex legis arbitrio, quod onus nullum ponit; nihil ergo obstat, quo minus et accessoriā partem alienent, qui suam hereditario iure quaestam portionem recte alienabunt. Prouoco etiam ad autoritatem *IUSTINIANI* in *L. vn. §. II.*
C. de Caduc. tollend. in qua lege scriperat Imperator: *Sin autem ad deficientis personam hoc onus fuerit collatum: hoc non sentiat is, qui non alienum, sed suum tantum legatum imminentum habet.* Sicuti vero prohibita alienatio rei legatae omnino onerosa est, amo odiosa certo respectu dici potest, ut recte statuit *VAN-*
DVS cit. loc. ita dubitandum non est in ea, quam proposuimus, specie, onus tantum Titio adscriptum, non reliquis.

§. VI.

§. VI.

Superest praeterea alia species: Testator in suo testamento ita scriperat: *TITIVS heres fundum meum urbanum praecepito ea lege, ne alienet. CAIUS heres eadem lege fundum rusticum habeto, ut utriusque suarum fortunarum certam habeant sedem eosdem.* que inuicem substituo, Mortuo testatore *TITIVS* hereditatem adit, fundumque urbanum sibi praecepit. *CAIUS* suam portionem repudiat. Accrescit ergo ea heredi *Titio*. Constituit vero is portio nem iure accrescendi vel magis ex substitutione acquisitam vendere: cumvero illa portio *Caii* deficiens continebat fundum rusticum cum onere relictum, ne alienaretur, quae situm est, an simul haec prohibitio ipsum *Titium* impedit, quominus alienaret. Sed secundum ea, quae proposita sunt, recte *Titius* fundum suum rusticum alienabit iure accrescendi acquisitum, qui tamen testatoris ultimam voluntatem hereditarium urbanum alienare nequit. Ratio in hoc querenda, quod causa prohibitiae alienationis eum haud tangat; habebit enim certam fortunarum suarum sedem in hereditario fundo urbano, ut in rustico in qua *Caio* relicta sedes erat, ea non egeat. Et huc se referunt verba *IUSTIANIANI* in *L. vn. §. II. C. de Caduc. toll.* *Hoc non sentiat is, qui non alienum, sed suum tantum legatum imminutum habet.*

§. VII.

Adhuc quedam dicendam de specie, quam *CERVIDIVS* in *L. 38. §. 5. π. de Leg. III.* exposuit. Verba sunt: *Quindecim libertis, quos nominauerat, praediolum cum taberna legauerat: et adiecerat haec verba: SIBIQUE EOS HABERE POSIDERE VOLO EA LEGE ET CONDITIONE, NE QVIS EORVM PARTEM SVAM VENDERE, DONAREVE ALIVDQUE QVID FACERE ALIUM VELIT. QVOD SI ADVERSVS EA QVID FATUM*



CTVM ERIT, TVNC EAS PORTIONES PRAE-DIVMVE CVM TABERNA AD REMPVBLICAM TVSCVLANORVM PERTINERE VOLO. Quidam ex his libertis vendiderunt partes suas duobus collibertis suis ex eodem corpore. Emtores autem defuncti Caium Seium extraneum heredem reliquerunt; quae situm est; partes, quae venierunt, utrum ad superfites collibertos suos, qui partes suas non vendiderunt, pertinuerent. respondit, secundum ea, quae proponerentur ad Caium Seium pertinere. Idem quae sit, an partes venditae ad rempublicam Tusculanorum pertinerent: respondi, non pertinere. Videtur quidem Scaeula contra omnem testatoris expressam voluntatem respondisse, cum nollet, ut ad extraneam personam partes praedioli cum taberna venirent, Gaius Seius vero utique extraneus esset, qui eas partes possidebat, ut forsan exinde coniici posset, clausulae poenali locum esse, ut scilicet ad rempublicam Tusculanorum pertinaret. Sed rectissimus utique est Ceruidius Scaeula, quod et CLAVDIVS, qui ad Scaeulam notas scripsit in eadem lege obseruat. Verba sunt: CLAVDIVS: Quia non possidentis persona, qui nunc extraneus est, respicienda est; sed emtorum, qui secundum voluntatem defuncti ex illis fuerunt, quibus permiseraf testatrixe venundari: nec condicio existit dati fideicommissi Tusculanis. Facile patet, prohibitionem illam tantum ad heredes pertinere, non vero ad eos qui heredibus deinceps succedunt. Odiosa enim strictissima sunt interpretationis.



Leipzig, Diss., 1776 A-G



f

TA-706

aus 34 Steck bisher verku.

V D

18

1776, 14.

Q V A E S T I O
IVRIS CONTROVERSI
A N

CVI PORTIONIS HEREDITARIAE
ALIENATIO INTERDICTA, EIVS
QVOD ADCRESCENDI IVRE ACQVIRIT,
ALIENATIO SIMVL PROHIBITA SIT

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE V. IANVAR ANNO C I C I C C L X X V I .

D E F E N D E T

IOANNES GOTTLIEB GERBIG

SCHLEVSINGA · HENNEB.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

